IOANNES CASIMIRUS

Dei gra Rex Poloniae Magn. Dux Lith: Russ: Pruss: Masouia Samogitia Liuon. Smolen. Czerniechouiaque; nec non Suecorum Gottorum Vandalorum Haereditarius REX

Significamus praesentibus literis nostris quorum interest universis et singulis. Productas coram Nobis fuisse literas authenticas papyreas sigillis communitas subscriptioneque manus Notarij Ciuitatis nostrae Lublinensis confirmatas in tenore et serie verborum qui sequitur tali.

Proconsul et Consules, Aduocatus Ordinarius et Scabini Viri Tribuni et Cechmagistri Contuberniorum totam Communitatem Ciuitatis Sacrae Regiae Mtis Lublinensis representantes [illegible] in Praetorium congregati. Vniuersis et singulis quacunque Dignitate gradu honore et Excellentia praefulgentibus, nunc et in posterum existen. praesertim vero ijs quorum interest et interesse poterit officium nrorum debitam promptitudinem cum submissa obseruantia deferen. tenore praesentium notum facimus. Quia Nos compatientes calamitati Religiosorum PP. Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Conuentus Lublinen. qui per Nos non adeo pridem inuitati atque per consensum tam Serenissimi ac Potent. Diuae memoriae Vladislai IV Regis Poloniae, quam et Illmi ac Rndi Loci Ordinarij Episcopi Cracouien. protunc existen. in anteurbium Ciuitatis nrae Lepoliense vulgo Słomiany rynek dictum loco remotiore à Ciuitate dissitum introducti existentes, dum ibidem vti Zelozi cultus Diuini promotores, deuotionem in populis propagarent et saluti Christi fidelium sedulo incumberent, paucis post introductionem sui elapsis annis nonnulli eorum ab infensissimis inclyti Poloniae Regno et Orthodoxae Catholicae fidei hostibus in Viscera Regni ipsamque Ciuitatem nram irrumpentibus truculenter conuulnerati, alij miserabiliter trucidati, reliqui Diuina benignitate superstites, Vniuersa tam Sacra Ecclesiastica quam et domestica suppellectili, rebusque omnibus ad alimoniam et victum deputatis spoliati sunt, insuper aedificia Conuentus ipsorum incursu Moschouitico et Cosacico depopulata atque in cineres et fauillas omnia redacta sunt, ita vt ijdem Religiosi nedum impensis reaedificationi dicti Conuentus sui necessarijs, sed et prouisione competenti alimentorum vitae subsidiorum in hac temporum iniquitate populo ferme vniuersi decennali clade bellica attriti et exhausti egestate, careant. Ne itaque dictorum Religiosorum Conuentusque et Eccl. ipsorum fundatio, ad laudem omnipotentis Dei in hac Ciuitate [illegible] erecta, iniuria temporum euanescat et extinguatur, cultusque Diuinus à cuius propagatione vel maxime dependet vlterior salus et incolumitas eiusdem Ciuitatis, quam toties ab imminenti excidio solo Diuini Numinis auxilio et singulari Diuorum Patronorum eius tutelarium patrocinio et munimine liberatam et conseruatam esse sensimus quodammodo imminuatur, rem Christiani affectus condignam esse censuimus Vt eosdem Religiosos quos tranquilliori rerum statu in Ciuitatem nram libenter recepimus, etiam hoc praesenti calamitoso et animoso tempore, fauore et gratia nostra vel maxime subleuaremus, necessitatibusque ipsorum subueniremus. Ea propter attendentes agrum certum Conuentui ipsorum adiacentem nihil Ciuitati commodi posse afferre qui ager incipit à Via publica fundi Słomiany rynek nuncupati, videlicet à ponte et defluxorio tendente ad viam publicam fundum Magci ac Gnosi Sierakowska è sinistro latere intersecantem, eundemque supradictum agrum circumambientem, ac alios agros vsque ad metam seu granicem hortorum Incolarum fundi praefati Słomiany rynek dislimitantem, penes quam metam seu granicem idem ager limites ad viam publicam eiusdem fundi Słomiany rynek dicti, habet; eundem agrum modo praemisso circumscriptum, cum omni iure dominio propinquitate possessione et vsufructu, iam exnunc et de facto praedictis Religiosis Patribus Fratibus Ordinis Eremitarum S. Augustini Conuentusque eorum Lublinen. de vnanimi consensu nro dedimus, donauimus, absessimus, et appropriauimus, prout quidem (cum ea conditione Vt ijdem Religiosi qualibet septimana duas missas, vnam pro viuis alteram pro defunctis ciuibus Lublinen. sua in Ecclesia perpetuis absoluant temporibus) per praesentes damus, donamus, abscedimus et appropriamus, iure tituloque donationis et appropriationis perpetuo ac irreuocabili, per eosdem Religiosos Conuentumque ipsorum praefatum agrum praemisso modo abscessum haben. tenen. possiden. et vtifruen. [illegible] maioris roboris gratia sigilla vtriusque officij Ciuitatis Lublinen. subappressa sunt testimonio vigoreque literarum. Actum in Praetorio Ciuitatis Lublinen. feria tertia ante festum S. Bartholomei Apli. proxima Anno Dni. Millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo Sedentibus Spectabilibus Alexandro Kenopnica protunc Proconsule, Excellenti Georgio Lemka [illegible] Med. Doctore Gabriele Dobrygost, Michaele Pellian Klimuntowicz, Ernesto Pstrag, Martino Cebelski, Petro Zakalski Consulibus, Honorato [illegible] Eylich Aduocato protunc Ordinario, Petro Galanowicz, Alexandro Bilewicz Scabinis, tum Famatis Joanne Dzilowicz, Valentino Reyzner, Gaspare Styglicz, Abrahamo Pecold, Paulo Czyzyk Cechmagistro Sartorum et Stanislao Flemberki [illegible] Ciuitatis Lublinensium. Ex protocollo actorum officij Consularis Lublinen. extradit. Simon Stanislaus Rubro Notarius [illegible] Loco Sigillorum Ciuitatis eiusdem. Supplicatum itaque Nobis est per certos Consiliarios nostros nomine praedictorum Religiosorum PP. Fratrum Eremitarum Conuentus Sancti Augustini gratiose quatenus praedictam donationem agri supra de loco et situ suo specificati approbare et confirmare dignaremur. Cui supplicationi Nos [illegible] quibus apprime decorum est, cum Monasteria in laudem Dei omnipotentis crescunt, benigne annuentes, Praenominatam Donationem dicti agri in omnibus eiusdem punctis et conditionibus approbandam et confirmandam esse duximus, prout approbamus et confirmamus praesentibus literis nostris. Praefatumque agrum iuxta contenta dictae Donationis [illegible] eiusdem Monasterij perpetuo adscribimus et incorporamus decernentes eandem vim et robur perpetuae firmitatis obtinere debere. In cuius rei fidem praesentes manu Nostra subscriptas sigillo Regni communiri iussimus. Datum Varsauiae die XII mensis Februarij Anno Domini M[illegible] Regnorum Nostrorum Poloniae [illegible] Sueciae vero [illegible]

Ioannes Casimirus Rex

Donatio agri certi per Magistratum Lublinensem totamque Communitatem Patribus Ordinis Eremitarum S. Augustini Lublinen. facta confirmatio

Albertus Laskowski
Sacrae R. Mtis Secretarius

Missa 2 [illegible]

1657 Feria [illegible] ante Fm Sancti Bartholomei Apostoli Donationis Super Agrum qui Extra Conventum p[illegible] in Monte Extat a Spectabilibus Viris Civitatis Lublinen. Subsecutae. [illegible]

[illegible] Privilegium a Serenissimo Joanne Casimiro Rege Poloniae. Varsaviae 1658 ao die 30 Februarij Religiosis in Xto Patribus Regulae S. Augustini benigniter [illegible]

Collatum

1665

Lecta

Actum in Castro Lublinensi [illegible] post [illegible] Misericordiae [illegible]

Anno Dni 1665

Dypl. BJ 509